

4.48.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Aurelio Leontio.*

Cum speciem venditam per violentiam ignis absumptam dicas, si venditionem nulla condicio suspenderat, amissae rei periculum te non adstringit.

*PP. III non. Nov. Atubino Diocletiano A. II et Aristobulo consss.* [a. 285]

4.48.6

*Idem AA. et CC. Aurelio Cyrillo.*

Mortis casus ancillae distractae etiam ante traditionem sine mora venditoris dilatam non ad venditorem, sed ad emptorem pertinet, et hac non ex praeterito vitio rebus humanis exempta solutionem emptor pretii non recte recusat.

*S. XV k. Ian. Nicomediae CC. consss.* [a. 294]